



PROLEGOMENA

I.

Primum eorum, quae sub cognitionem humanam cadunt, idemque omnium cuique certissimum, illud sine dubio est, quod se quisque esse scit: id quod suus quemque sensus et conscientia docet.

2. Fieri autem plane non potest quod quidem periculum facienti apparebit facile, ut, quo quis tempore se credit esse, eodem ille etiam, se non esse, vel suspicari, vel vlla sibi persuadere ratione queat.

3. Quod autem in hac re usu venit, idem in aliis, quas cogitamus, et esse putamus, rebus accidit, ut nemo possit, quod esse credit, eodem tempore, etiam non esse, credere. Ex quo intelligitur, plane humanae menti repugnare, idem ut simul esse, et non esse, existimare possit. Est itaque certissimum id, quod nemo unquam serio vocasse in dubium negasseve putandus est: *Idem non simul esse et non esse posse.*

4. Atque hoc veluti fundamento omnis omnium rerum, in primisque in facto positarum, veritas nititur. Quare, si quis hoc e Philosophia principium sublatum vellet, non dubitandum esset, quin omnem humano generi veritatem ereptam cuperet.

5. Sed, quae esse, fieri, aut facta esse, intelligimus, ea historice dicimur cognoscere. Est itaque

Ernesti Luitia.

A

que